

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Illvstrivm Virorum Epistolae, Hebraicae, Graecae et Latinae, Ad Ioannem Reuchlin Phorcensem virum nostra aetate doctissimum diuersis temporibus missae

Reuchlin, Johannes

Hagenoae, 1519

Petrus Iacobi Arlunensis. I.v. doctor praepositus in Baknaug, Ioanni Reuchlin Phorcensi S. D. P.

[urn:nbn:de:bsz:31-270838](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-270838)

IO. REUCHLIN LIBER PRIMVS

doctor egregie, si qua alia in re mea tua erga me beneuolentia opus fuerit opera, ne me lateat obsecro, nullam profecto rem neque tam magnam, neque tam parua putem, quae mihi aut difficilis aut parum me digna uideatur. Quippe omnia quae in tuis rebus agam non laboriosa mihi sed honesta uidebuntur. Nullum me Hercle in te officium sine maxima culpa uideor posse pretereire. Vale. M. cccc. lxxxviii. Kal. Ia.

Petrus Iacobi Arlunensis. I. v. Doctor praepositus in Baknaug, Ioanni Reuchlin Phorcenfi S. D. P.

LEgi summa cum uoluptate luculentissimam tuam ad Diuum Alexandrum orationem, Qua in defensione iustissimi Principis sacerdotii defensoris ita euectus es, ut nemo esse queat qui eum pro te constantem defensum neget. Gaudeo mihi, gratulor ecclesiarum causis, quod tantum principem non oppressorem ut multi, sed acerrimum uindictorem habeamus. Cupio oino atque id ex te cotendo, ne me huius elegantissimae orationis copia fraudes, at potius perpetuum tuum in me amoris monumentum manu excribas. Ego nunc equum abiturus conscendo, post triduum rediturus, tu interea charissime frater foeliciter Vale. Quod si scirem te me hac tua oratione priuatum, uterer in ea iure tuo, qui ea soles lege aliorum capere libros, ut si tibi placeant, restituas nunquam.

Ioannes Molitorius. I. V. Doctor, Badensis Decanus, Ioanni Reuchlin Phorcenfi. S. P. D.

ACcepi iam pridem egregie doctor suauissimas tuas literas, quibus mihi non satis digno humanissime gratulatus es, quae longe maiorem mihi attulissent iucunditatis usuram, si me non adeo linguae graecae doctum existimasses, ita enim usum uenisset ut eam uoluptatem quam non solum in uerbis Hippocratis, sed & aliis quibusdam reconditam puto, amicissimo tibi uiro communicasses. Cui pene omnia elementorum graecorum non iam dudum exciderant. Fac igitur quae tibi remitto graeca ad me traducta rescribas, & ego tibi quom primum ad me diuerteris, cum iis quae a me aliquo comodato cepisti, quod tuum est reddam, simulque pulcherrima quaedam graeca prouerbia, a me tamen minime intellecta ostendam. Scribis te ignem diutius continere nequiuisse, & id huiusmodi graeca sententia comprobas, quae ego non calleo *Νῦν ἐργῶν ἐν ἔρωτα καρπὸς θεός* Sed nec Hippocratis *Ἔβα* in hac forma a te scripta *Μακάριοί τε ὅμοιοι, ὁκόσοι ἴσασιν ἔως ἀπαύδης ἀνθρώπων ἔργα, ταυτῶν ἡ ὄρις πύργου ἔδει τὰ τεύχεα ἀλλὰ*